Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 767
Quelle:
Copyright:

iſſe, et *cor Regis* dictum fuiſſe. Accedit Codex *mſ.* apud *Serarium Rer. Mogunt.* L. IV. qui teſtatur *Hattoni* ab eodem *Hugbaldo* Librum ſuum *de Muſica* dedicatum fuiſſe. Obponi tamen poſſunt, cum Verſus illi ad *Carolum Calvum*, quibus *Hugbaldus Milonis* magiſtri ſui Librum metricum *de Laude Parcitatis* comitatus eſt, quosque e *Cod. Elnonenſi* protulit *Martenius* T. I. *Theſ. novi Anecdot. col.* 45. f. tum illi, quos e *Bohemia* ſibi adlatos *Barthius ſupracit.* c. 22. ipſi Poematio ſubjunxit, qui tamen rurſum ad Poematii Corpus pertinere nequeunt, cum ſint numero XV. finguli vero Articuli Poematii non niſi Verſus X. cenſeant. Itaque, ſi genuini ſunt, Praefaminis aut Poſtfaminis inſtar haberi debent. At ſic nova difficultas oritur; habemus enim Verſus 151. contra ipſum *Hugbaldum*, qui ſupra in *Invocatione* ſua dixerat:

En tibi centenos, ter denos, bis quoque ternos.

Quidquid igitur hunc numerum excedit, interpolationem olet. Atque ab hoc neque Codex noſter immunis eſt. Nam inter Decadem III et IV. interſerit ſequentem: *Caluos cenobitas, pſalmiſtas, Grammaticos eſſe atque poetas, ſcribas quoque et plurime abſtinencie.*

Carmina clariſone caluis cantate camene.
Complures caluos cogunt caſtiſſima caſtra
Celica certatim celebrantes cantica criſto.
Corpore crine carent, conluſtrant culmina celi,
Celica concupiunt, cobibent curare caduca,
Componunt cartas, concinnant carmina clara,
Catholicum canon(em) *certum conſcribere curant,*
Conmulcant carmen, congeſtant corde calorem
Conſtantem caſtum, communi currere curſu
Contendunt celeres, celique capeſſere culmen.

Exacte haec *Hugbaldum* referunt; in nulla tamen editione leguntur, totumque Poematium ad verſus 161. producunt, quod an ſucceſſu temporis Autor ipſe, an alius quis auxerit, dicere non habeo; illud tamen obſervo, Sententias *Invocationis* noſtrae multum congruere cum iis, quibus *Milo* Patruus et Praeceptor *Hugbaldi* Praefationem metricam in ſuum *de Laude Parcitatis* Librum informavit, ut videre eſt apud *Martenium l. ſuprac.* Ceterum Emendationes quasdam Textus *Barthiani* adjicere lubet.

Editio.